ALFONSI SAXI I. V. D. MVTIN. AQVARII COMITIS

ORATIO

IN FVNERE SER.MI ALFONSI II. FERRARIÆ DVCIS, &c.

Habita MVTINAE, in Eccleſia CATHEDRALI PRIDIE IDVS IANVARII.



FERRARIAE,

Ex Officina Victorij Baldini, Typographi Cameralis. 1599.

Superiorum permiſſu.

D. O. M.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinali

ALFONSO GESVALDO

SACRI COLLEGII DECANO

Archiepiſcopo Neapolitano.

ALFONSVS SAXVS S.

ORAVI in funere Sereniſsimi ALFONSI Ferrariæ Ducis, ſed non vt par erat laudibus tanti Principis, quibus Ciceroniana eloquentia, vix ſatisfacere potuiſſet. Oraui autem mandante Sereniſsimo Cęſare, non ſolùm ditionis ipſius, & opum, ſed etiam virtutis ſucceſſore, & hærede meritiſsimo. Cum verò Oratiunculam tenuem, & tantæ materiæ penitus imparem, nullo modo emittendam, ſtatuiſſem, vicit propoſitũ meum, contraria voluntas, grauisſimorum virorum, quibus non parere, nefas eſſe duxi. Sed cum ipſam ſub alicuius ſaltem patrocinio in lucem prodire de-

A bere

bere animaduerterem, te vnum, Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime ALFONSE, eligendum eſſe cenſui, ſub cuius nomine prodiret, tum propter ſummam neceſsitudinem, qua tu, & ALFONSVS mutuis, & his quidem nõ vulgaribus offitijs, conſtitutam, inſimul habuiſtis, tùm propter ſingularem humanitatem tuam, qua omnes ad te confugientes, ſuſcipere, & complecti ſoles. Accipe igitur CARDINALIS ampliſsime, munuſculum hoc leuidenſe, & ita legito, vt Sereniſsimi ALFONSI memoriam, quam te ſemper retenturum eſſe procerto habeo, ſi non ſuauiter, ſaltem non iniucundè, in te ipſo excitet, & foueat, & Saxi nominis tui perpetuò deuinctiſsimi ſingularem erga te obſeruantiam, & deuotionem tibi referat.

D. O. M.

OPTAREM, Sereniſſime Cęſar, hodierna die, tantum mihi facundiæ, tantum eloquentiæ, quantum tibi, cæterisque omnibus, mœſto, humili, & deuoto corde, ac pio mentis affectu, diuinis hiſce ſacrifitijs, aſſiſtentibus, doloris ineſſe video. Sic etenim acerbum, & lamentabilem occaſum Sereniſſimi Alfonſi Principis noſtri ter maximi, quem ne dùm hæc Ciuitas, ſed tota Italia, præſidio maximo orbata, dolentiſſime tulit, funebri oratione, vt par eſſet, proſequi poſſe exiſtimarem: Sed poſtea quam hoc ſummi Oratoris, & viri facundiſſimi, opus, ad meam nimis tenuem, ac imbecillem, & ſine neceſſaria dicendi arte facultatem, pertinet, huicq; muneri, non tàm poſtulato, quàm iniuncto, ſatisfaciendum eſt, quò quò me vertam, quid primùm vel dicam, vel præteream, neſcius ſum. O' ſi laudes tanti Principis condigna oratione, aſſequi poſſem. O' ſi vitam, & mortem ipſius, quam omnes, tamquam vulnus grauiſſimum, intimis animi ſenſibus, dolenter excepimus, celebrare poſſem, quantam tibi Sereniſſime Cæſar, opem, cæteriſq; hiſce aſtantibus, ad mitigandum, & minuendum dolorem, me allaturum fore,

ſperarem, ſed hoc nimis arduum, & difficile, imò impoſſibile eſt, impoſſibile eſt ne dum mihi, vix cum mediocribus ordinis, ætatisq; meæ hominibus comparando, verùm etiã cuilibet diſertiſſimo, grauiſſimo, & clariſſimo Oratori. Quod itaq; in hac funebri pompa, non minus commendabile, quàm neceſſarium, & vtile, propter excelſas, inuictiſſimi Alfonſi, virtutes, aſſequi, non licèt, carptim ſaltem pro tenui facultate mea, & ingenij modulo, percurrere, & quaſi more apum, delibare conabor. Non ego generis, ipſius, aut natalium. Non ego antiquisſimæ nobilitatis Sereniſſimæ Eſtenſis familiæ decus, quæ cum ſummis, & florentiſſimis Imperijs, mille, & ducentis ab hinc annis, eoq; amplius, viguit, & floruit, memoraturus ſum, ne ornatiſſimo huic conſeßui, clarißimorum, quibus, hæc omnia, ne dùm in inſignibus grauißimorum ſcriptorum monumentis legere, verùm etiam in atrio Ferrarienſis aulæ, ſcite admodùm docta manu depicta, ceu in muta hiſtoria, ad libitum cernere, & contemplari, conceßum fuit, iniuriam facere videar, & quod iamdudum ſingulari, & generoſa Sereniſsimi Alfonſi induſtria, ad excolendam maximorum Imperatorum Principumq; ſuorum memoriam, & ad excitandam ſucceſſorũ, & gentilium virtutem, elegantißimè præſtitum fuit, inutiliter agam. Non ego, quod ad pueritiam ipſius pertinet, quomodo in optimis quibuſcunq; diſciplinis, egregiè verſatus fuerit, quomodo præceptores, morumq; moderatores,

armo-

armorum, & equorum, aliarumq́; artium, inſtitutores hilari fronte, & læto vultu, ſemper exceperit, & pertulerit, in medium afferam, ſed ad maiora, & grauiora, progrediar ex quibus hæc omnia non ſolùm coniectare, ſed quaſi oculis ſubiecta fidelibus, contemplari, & laudare licebit. Alfonus adoleſcens, penè potius puer, quem gloriæ generoſa cupiditas, iam pertentabat, & incitabat, qui paternæ virtutis, & auitæ ſemina, in ſe ipſo diutius, continere non poterat, quin tandem erumperent, latèq; diffunderentur, ad Henricum Secundum Galliæ Regem Chriſtianiſſimum, vel ipſomet Sereniſſimo Patre inuito, & reluctante, ſe contulit, vt ſub maximo, & celeberrimo Rege, prima poneret militiæ rudimenta, poſuit autem, tanto cum honore, tanta, cum ipſiuſmet Regis, procerum, & totius Galliæ, admiratione, vt ora omnium, in ſe conuerteret, & bellum quantumuis magnum, & graue, ſub auſpitijs ipſius, poſſe confici, omnes affirmarent, & mirarentur, adeò clara, eximiæ virtutis tanti Principis, & futuræ ipſius gloriæ, ſigna, & inditia, eluxerunt, tanti Principis, qui licet in florentiſſima, & ornatiſſima, tunc temporis ciuitate, imò in tota ditione Eſtenſi principatu, feliciſſimè potiretur, nulla tamen, dominandi libidine, non delitijs, non voluptatibus vllis, contineri potuit, quò minus laborioſum virtutis iter, ingrederetur, & vt illam lucrifaceret, parentes, dulce ſolum patriæ, & principatus illecebras deſereret. Ornauit eum ſtatim, inuictiſ-

ſimus

ſimus ille Rex, proprijs manibus, conchiliato torque, diui Michaelis, qui tūc ſummus honor erat, cataphractisq́; equitibus inſuper centum & vni præfecit, aſſiduumq́; comitē, & contubernalem, vbiq; habuit, & adhibuit. Ornauit autem non immeritò, cum etenim, immortalis promærendæ, quam inhiabat, gloriæ, stimulis incitantibus, & aſſiduis, primariorum Regij ſanguinis, heroum, precibus, illuc vbi magnum vigebat bellum, denuò ſe contuliſſet, adeò egregiè ſe geſſit, vt iuuenis admodùm, in urbium bene munitarum expugnatione, & ferociſſimarum copiarum hoſtilium profligatione, prouectos ętate, & arte duces, bellica laude, adæquauerit, & ſuperauerit. Verùm cum ammiſſo patre, orbatis populis, Principe optimo, & parente amantiſſimo ſubueniendum foret, nec ea quam non immeritò, requirebant, & implorabant præſentia, amplius defraudandi, eſſe viderentur, adfuit statim mutatis equis, Alfonſus, adfuit, & omnes conſolatus eſt, conſolatus eſt autem, non exoptata præſentia tantùm, ſed innumeris muneribus, & beneſitijs, rebus omnibus, quæ ad optimum totius ditionis ſuæ, regimen, spectabant, benè conſtitutis, ordinatis, & inconcuſſè firmatis, cum verò Lucretia Medices Principe optima coniunge ſine prole defuncta, ad propagandam ſobolem Sereniſſimam Barbaram Austriacam, Ferdinandi, & Maximiliani Cæſarum, filiam, & ſororem, duxiſſet in vxorem, immaniſſimus, & potentiſſimus Turcarum tyrannus, minas,

nas, & cædes ſpirans, cum exercitu numeroſiſſimo, tormentorum, & cuiuſcumq; generis bellici apparatus, cumulatiſſimo, ſuberbè admodùm, atq; inſolenter, in Pannoniam ingruere cœpit, quo nuntio accepto Alfonſus, ſumma cum animi à lacritate, magna procerum comitante caterua, nec non Excelentiſſimo genitore tuo, cum delecta, mille galeatorum equitum, ala, Cæſari, præſto fuit, qui non ſolùm armis, equis, veſtibus, & ſagis militaribus ſericeis, opere Phrigio, depictis, verùm etiam, virtute egregia, & inſigni nobilitate, cæteros antecellerent, ita quod non minori præſidio, quàm ornamento, in grauiſſimo, atq; urgentiſſimo illo, bello, futuri admiranter, vel ab ipſomet Maximiliano Cæſare, ſumma cum lætitia, conſpicerentur, & laudarentur. Inuictiſſimus enim, & glorioſus Princeps, nulli ætate, forma, magnitudine animi, virtute, & potentia, ſecundus, ita ſororio, & Chriſtianæ Reipublicæ ad tanti belli rumorem atteritæ, & ſi famam increbeſcentem, attendas, ferè oppreſſæ, ſubueniendum eſſe exiſtimauerat, vt condignum neceſſitati, cauſæ, affinitati, propriæq; nobilitati, & religioni, auxilium, afferretur, at verò quomodo, in itinere, in aula, & in caſtris ſe ſe geſſerit, Regioq; apparatu, & non minus ſplendidis, quàm lautis epulis, ipſummet Cæſarem, Cæſariſq; fratres, & primarios Germaniæ Principes, & heroas, proprioſq; & alienos Duces, & milites, in toto illo bello, quod præcipuo ipſius conſilio, feliciter, adminiſtratum,

&

& confectum fuit, ſemper exceperit, vix enarrari pōt, quomodo ſauciorum, & valetudinariorum militum, exactam vbiq; curam, geſſerit, quàm liberaliter omnes, nulla prætermiſſa, imò potius, quaſi obuius, arrepta occaſione, donauerit, quomodo omnia belli munia, admirabili conſilio, & ingenti robore, diligenter obiuerit, quomodo nouam, nec vlli cognitam, vallorum formam, ex quibus hoſtilis impetus, exciperetur, infringeretur, & inanis omninò, redderetur, inſtituerit, & extruxerit, nec quouis longo, & pertinaci labore defatigatus fuerit, neq; maximis, ad accerſendam ualetudinem, incommodis pepercerit, non enim ſororij tantùm res, imò totius Chriſtiani imperij, & ſacroſanctæ religionis, & fidei, honorem, pijſſimus, & religioſiſſimus Princeps, ante propriam ſalutem, commoda, & opes poſuerat, quare factum eſt, vt cum denuò immaniſſimus ille tyrannus eamdem prouintiam bello premeret, expugnatisq; vrbibus, omnia incendijs, cædibus, & rapinis, compleret, ipſique met Ciuitati Regiæ, obſidionem minaretur, ſolus Alfonſus, ne dùm ab ipſomet Rodulfo Ceſare, Cæſarisq; fratribus, & tota Germania, imò ab vniuerſis Principibus, populis, & gentibus, non ſolùm Imperator meritiſſimus, ſed etiam certiſſimus debellator, & triumphator, renunciaretur, & acclamaretur, nouerant enim omnes, præteritis rebus edocti, ſine præſentia, conſilio, virtute, manu, & opibus, Sereniſſimi Alfonſi, audaciſſimo, & potentiſſimo tyranno

ranno

ranno totis viribus ingruenti, & incumbenti, nullo modo, reſiſti, nullo modo, efferatos inſolentiſſimi animi, ſpiritus, contundi poſſe, quod vt facilius, & felicius, contingere poſſet, non defuerat ſibimetipſi, & Chriſtianæ Reipublicæ, Alfonſus, iam enim, quaſi occurſurus, ſacroſanctæ Catholicæ fidei propugnandæ, vſq; ad extremum vitæ ſpiritum, & totius ſanguinis effuſionem, perpetuò addictus, florentiſſimum innumeris, ad famam nominis ſui, vndiq; confluentibus viris, & proceribus, conſcripſerat exercitum, iam nouas, admirabili quodam artifitio, & ingenio, machinas, extruxerat, vt potentiſſimum tyrannum, Chriſtiani nominis, hoſtem acerrimum facilimè debellaturus, à cunctis conſtantiſſime crederetur, ſed fortaſsè grauiſſimum, Deo Optimo Maximo, ita permittente, pijſſimi belli negotium, Chriſtianæq; Reipublicæ, & ſaluti, maximè neceſſarium, communi omnium voto, & quaſi diuina præcurrente voce, ſub auſpitijs tanti Principis, feliciſſimè conficiendum, peccata noſtra, præpedierunt. Cæterùm Alfonſus, iuſtitia, pace, & abundantia, vbiq; in ditione ſua, egregiè firmatis, & inuiolabiliter perpetuò, conſeruatis, Aureum ſeculum induxit, Margaritam Gonzagam Principē forma, venuſtate, morum elegantia, & pietate inſignem, ex qua deſideratam non minus à cunctis gentibus, quàm à populis ſuis prolem ſuſciperet, tertiam coniugem duxit, totius aucupij, & venationis, inſtrumentum, elegantiſſimè

excoluit, familiam florentiſſimam, ex omni delectu, nobiliſſimæ iuuentutis, non ſolùm propriæ ditionis, ſed etiam uniuerſi orbis, quem fama nominis ſui compleuerat, prætioſo amictu, elegantibusq́; munditijs, excultam habuit, ipſamq́; opiparè ſemper aluit, cum hoſpites, quibus, aſſiduæ, aula erat referta, longè omnium luculentiſſimè exciperentur, alerentur, & dimitterentur, equeſtrium verò, & pedeſtrium armorum exercitationis, peritiſſimus, ita ſe ſe in ipſis habuit vt adhuc dubium remaneat, nùm excellentius, an verò benignius, & docibilius, erga omnes, quos ad honeſtiſſimam armorum diſciplinam percipiendam, & bellorum ſimulachra cienda, comiter vocabat, & inuitabat, verſatus fuerit, tantum autem in quibuſcumq; corporalibus exercitijs polluit, vt vſq; ad primariam, excellentiam ualeret, quin etiam adeò ipſis maximè verò pilari ludo, ne quod otij à grauiſſimis dabatur negotijs, fruſtra conſumeretur, oblectatus eſt, ut ingentis ſtructuræ ædifitia, ad vſum ludi prædicti, ne dùm Ferrariæ, ſed pluribus in locis ditionis ſuæ fabricari, mandauerit, excellentiſſimosq́; homines, quos in hanc cauſam, non ſine magno ſumptu, ſemper aluit, in illo certamine, non minori cum ſpectantium admiratione, quàm delectatione, vt plurimum ſuperauerit. Taceo præclariſſima ædifitia ab ipſo conſtructa, auguſtiſſimamq́; Ferrarienſem arcem, maximum, cuiuslibet ſpectantis, oblectamentum, potentiæ antiquiſſimi Imperij Sereniſſimæ Eſtenſis

fami-

familiæ, decoram faciem, & tales prim a fronte, dominos, denotantem, qualia ipſorum habitacula comprobantur, in augustiorem, elegantioremq́; formam, reductam, ſciebat quippe ſplendidiſſimus Princeps, pulchritudinem illam mirabilem, ſi ſubindè non reficeretur, ſenectute obrepente, vitiari poſſe. Taceo fabricas, & muros Menſularum, quorum edoctus circuitum, craſſitudinem, formam, atq; altitudinem Philippus Rex Hiſpaniarum Catholicus, regum omnium maximus admirationem, contracto ſupercilio, continere non potuit. O' Principem optimum, ornatiſſimum, & lectiſſimum, plus ferè honoris, & ſplendoris, ipſimet principatui tribuentem, quàm ab ipſo principatu, recipientem, quem digniſſimè omnes gentes, ſuſpiciebant, & venerabantur, quem videre erat reuerentia, & audire miraculum. Sereniſſimæ Alfonſe memoria tua, in benedictione ſemper erit, dies obitus tui, ſemper honoratus, ſemper acerbus, à nobis habebitur, acerbus iuremeritò dies amarus & amarus valdè, in quo Princeps optimus, ęquè fortis, prudens, & iuſtus, imò parens amantiſſimus, non ſolũ populorum ſuorũ, verùm et exterarum gentiũ, amiſſus eſt, cuius ſingulari virtute, & admirabili conſilio, vix inexplicabilia pacis, & belli, Regnorum, & Principum negotia, adeò felicem exitum, acceperunt, vt expectatio vniuerſorum, ſuperata fuerit, & tamen magna, imò maxima erat virtutis ipſius, opinio, benè conſtituta, in generoſis, & excelſis,

retroactæ vitæ operibus. O iacturam incomparabilem, iacturam enim verò, quo ad nos, qui excelſo Principe, qui parente optimo, & clementiſſimo orbati remanſimus, at quò ad te, Sereniſsime Alfonſe, theſaurum inæſtimabilem, quo nihil præcioſius, reperiri, aut deſiderari poteſt, quid enim amplius exiſtimandum eſt, quàm quod felix, in cœleſti ſede, ab humanis hiſce curis, & laboribus conquieſcas? ſtatutũ erat tibi, Sereniſsime Princeps, ſemel mori, moriẽdum fuit, Beati mortui, qui in domino moriuntur, in domino autem moriuntur, qui bene viuunt, tu ſemper bene, ne dùm tibimetipſi, verùm etiam populis à diuina benignitate, imperio tuo, commiſsis, & cunctis gentibus, vixiſti, amplius verò moriens præſtitiſti, nec enim virtutis tuæ, & paterni offitij oblitus, vt per condignum ſucceſsorem populis tuis, bene moriendo conſuleres, operam dediſti, quid amplius in vita tua exoptari poterat, quid amplius in morte deſiderari? reuiueſcat Cicero, ſi pedeſtri facundia, condignè laudandum eſt, reuiueſcat Virgilius, ſi carminibus egregiè decantandum, & vterq; vix ſatisfacere poterit, vel ſaltem dùm ſatisfacere ſtudebit, defatigabitur. Vixiſti, Sereniſsime Alfonſe, & curſum tibi diuinitus præſtitum feliciſſimè peregiſti, uixiſti inquam, omni virtutum genere ornatus cumulatiſſimè, tù adhuc imberbis incertũ reliquiſti, nùm maior Dux & Imperator, an miles exiſtimandus eſſes, tù apud maximos totius Europæ Principes, fortis, prudens, ac fidus Co-

mes,

mes, & cõſiliarius extitiſti, tù in omni lingua doctiſſimus, ità quod in propria, cunctas ferè exteras nationes, excelere dicereris, cum vbiq; mirabilis eſſe dignoſcereris, & indefeſſa quadam exercitatione, tot genera eloquij cuſtodires, tù in cunctis rebus, etiam minimis exactiſſimus, tù cuiuſcũq; generis artifitij peritiſſimus, tù ſplendidiſſimus, liberaliſſimus, iuſtiſſimus, æqui ſeruantiſſimus, & clementiſſimus, neminem vnquam, vel iniuſtè tecum agentẽ, & neganda poſtulantem, contriſtatum dimiſiſti, tù facinoroſos homines, impiosq́; latrones, quaſi in Aſilum congregatos, paſſim in Flaminia graſſantes, omnia furtis, occidionibus, & incendijs, complentes, & deuaſtantes, neminiq́; parcentes, ſacrosq́; ordines impunè, & omni poſthabita reuerentia turbantes, ac pro vita fortiter dimicantes, vſq; ad unum, ſine cæde, ſine ſanguine tuorum penitus deleuiſti, tù leges pacis, & belli, vniuerſo ferè orbi, magnisq́; Principibus, ſumma cum omnium admiratione, & veneratione, adeò feliciter præſtitiſti, vt maximi Principes ad ipſas petendas, quaſi ad oraculum, confugerint, tu adeò modeſtam, continentem, ſobriam, piam, & religioſam vitam ægiſti, vt ſæpè rapidus vitiorum torrens, qui cum in ciuitates tuas irrepſiſſet, velociter defluebat, ad exemplum tuum, ſtatim conſtiterit, & quaſi inanis ſubitò, dilapſus fuerit. O virtutes incomparabiles, & quis fuit unquam, aut eſt hic, qui tot & tantis virtutum dotibus, adeò cumulatè exornatus fuerit,

prout

prout erat Alfonſus Princeps noſter lectiſſimus, & laudabimus eum? Sereniſsime Cæſar, ſi vera reor, tù omnia propius, agnouiſti, Excelentiſſimumq; genitorem tuum, ingentis Spiritus, prudentiæ, & virtutis Principem, ſæpè de cunctis, quæ proprijs manibus, atrectauerat, mira cum laude, & ad ſummum virtutis auitæ, excitamentum diſerentem, audiuiſti, & fortaſſe nũc, animo reuoluis, hinc inſignẽ, præſentis iacturæ, calamitatẽ, intimis animi ſenſibus, defles ſingularẽq; tanti Principis, uirtutẽ miraris, & deſideras, anxiusq; gloriæ, ad ipſam aſpiras, & honeſtiſſima, atq; lauditiſsima, ipſius veſtigia, tibi calcanda proponis. O' te beatum, & felices, quibus præes, populos, & aurea ſecula, ſi eximiam, Sereniſsimi præceſſoris tui, virtutem imitari, excolere, & ſi fieri poterit, adaugere, totis animi, corporisq; viribus, ſtudueris, enixèq; operam dederis. Vtinam, vtinam, ita contingat, at quod aliter contingere poſsit, non eſt credendum, non eſt expectandum à te, à te Cæſar, quem pater Alfonſus, & Alfonſus excitat auus, & Alfonſus iſte patruelis tuus, de te optimè meritus, qui non ſolũ totius ditionis ſuæ, & opum, ſed etiã virtutis, hæredem te conſtituit, vt vel ab humanis ſolutus, quaſi viuens dilectiſſimis populis ſuis, pertemetipſum, conſuleret, per te inquam, qui à teneris, ut Greci dicunt, vnguiculis, educatus, vt par erat, eximium religionis, iuſtitiæ, pietatis, prudentiæ, benignitatis & clementiæ honorem imbibiſti, adoleſcens, & iuuenis,

adau-

adauxiſti, & vir factus, ita te per omnes gradus, mira cum patientia, æquitate, & conſtantia exercuiſti, vt quandoq; vel ipſiſmet inuidis hominibus, ad eleuandam nominis tui, gloriam, nullus niſi in modeſtia, humanitate, & patientia tua, quas virtutes, ipſi, vel inuitis dentibus mirari, & laudare cogebantur, locus fuerit relictus. Sereniſſime Alfonſe, en tibi parentat, ſucceſſor tuus pijſſimus, & gratiſſimus, & cum ipſo tota gens tua, & populus iſte nomini tuo æternum, deuinctiſſimus, te Principem ſuum lectiſſimũ, atq; acceptiſſimum, imò potius parentem, cariſſimum, & amantiſſimum, ab humanis hiſce curis, cæleſti in ſede vacantem, & feliciter conquieſcentem, ingenti cum dolore, fletu, mœſtitia, & multis lachrymis, requirit, tù qui ſingularem, omnium erga te affectionem, inconcuſſamq́; fidem, & reuerentiam, atq; intimos ſenſus, & pia corda intueris, tù quos paterna pietate, prædilectos conſilio, & operibus, viuens, & moriens, in tanto tibi electo ſucceſſore, indefeſſus adiuuiſti, & fouiſti, pijs, apud Deum Optimum Maximum, precibus, iuuare non deſinas. Cæterùm vox auribus meis, quaſi ab alto demiſſa cælo, intonuiſſe, videtur, & iuuaui, & iuuabo, dilectiſſimumq́; ſucceſſorem meum, ita facturum eſſe polliceor, & ſpondeo. Audis Cæſar? Sereniſſimus Alfonſus in domino requieſcit, et populos ſuos tibi cõmendat, & quò ad ipſos, in te vno conquieſcit, in te vno viuit, partium tuarum eſt, vt eximia, qua ſolitus es

iuſti-

iuſtitia, religione, prudentia, pietate, & clementia, omnes tuearis, & protegas, vt Alfonſus in cœleſti ſede, glorioſus exultet, diuini nominis, gloriam in populis ſuis, propter ſingulares ſucceſſoris, & hæredis, ſibi electi, & prædilecti, virtutes, ſemper laudari. Accipe, Sereniſsime Alfonſe, extremum hoc vale, quod tibi cum clamore valido, & multis lachrymis, precamur, & dicimus omnes. Vale, æternumq; vale, Sereniſsime Alfonſe. Accipe, Sereniſsime Cæſar iſtud viue, quod tibi non puris tantùm vocibus, ſed ex intimis animorum, cordiumq; noſtrorum ſenſibus, precamur, & dicimus omnes. Viue diù felix, atq; ita in æternum viue, vt Sereniſſimum Alfonſum, nobis, in perſona tua renouatum, in te ipſo mirari, laudare, & ſolita proſequi veneratione, & obſequio, gaudeamus, vt ſic Alfonſus Princeps noſter ter maximus, in te vno ſemper, tu ſemper in ipſo viuas, ita precatur, vouet, & futurum ſperat, vniuerſus iſte populus vnà cum aſtantibus hiſce Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Antiſtibus, legatis, & proceribus ad laudem, & gloriam, Dei Omnipotentis, & Deiparæ Virginis Sacratiſſimæ, fiat, fiat. Dixi.